

vit, et opera manuum ejus sunt coeli; deinde quod modo portare potuisset omnia verbo virtutis suae, qui non omnia creavit? 3. quia ipsimet biblii rationalistæ ejusmodi commentum rejiciunt (a).

Ad 3. N. Sed vocat splendorem gloriae, et figuram substantiae Patris, non Dei. Ejusmodi autem voces nihil aliud exprimunt, quam nominis filii explicacionem. Necesse est enim ut Filius coeternus sit et consubstantialis Patri. Utrumque autem his verbis mirifice adscrutatur. Nam splendor ejusdem naturae et gloriae est, et aeneus aeternus ac lumen a quo emanat; figura vero, seu ut gr. dicitur, character substantiae Filium ipsum designat in quo, tanquam in sigillo tota Patris impressa est substantia, ita ut sit perfectissima imago Patris. Hec autem ut necessaria sunt ad veri filii notionem, ita omnino abhorret a rei creatae natura et conditione (b).

Quod si Coloss. I. 15. Paulus Christum dicit *imaginem Dei invisibilis*, vocat etiam *primogenitum omnis creature*, quatenus nempe, ut subdit, V. 16. et seqq.: « In ipso condita sunt universa, in coelis et in terra, visibilia et invisibilia . . . , omnia per ipsum et in ipso creata sunt. Et ipse est ante omnes, et omnia in ipso constant. » Quibus verbis evidenter adstruit eandem in filio naturam ac in Deo summo, ac propterea patet nomen Dei usurpari hic ab Apostolo in sensu quo illud tribuit Patri a quo Filius sola generatione distinguitur. Ruit propterea Crellici cavillatio (c).

CAPUT II.

De natura Christi humana.

Qui humanam Christi naturam impugnarunt anteriores iis sunt qui ejusdem divinitatem sunt inficiati (d), indignum Deo esse autem eum adeo sese demittere ut infirmam et imbecillum naturam nostram sibi copulaverit. Non una tamen eademque ratione veteres illi haereticci in hoc articulo a veritatis tramite deflexerunt. Alii siquidem circa Christi carnem, alii circa animam aut circa utriusque originem et proprietates gravissimos errores sectati sunt.

Qui adversus Christi carnem ejusque originem insurrexerunt communis docetarum (e) nomine sunt nunquam. Ex his docetis alii veritatem ipsam carnis impugnarunt *phantasma* vera carni substituentes, alii *qualitates carnis proprias* tantum ei detraxerunt (f). Do-

(a) Cf. Rosenmüller in h. l.

(b) Cf. Maran, I. c. cap. X. §. 2.

(c) Reliquas difficultates saltem praecipuas cf. in tract. de Trinit. n. 45. seqq. tum n. 166. seqq. ubi de trinitate personarum, ac de Verbi divinitate egimus. Cf. etiam Petav. de Incarnat. lib. XVI. capp. I-V. necnon de Trinit. toto libro III. adversus Grelgium.

(d) S. Joannes Evangelista hos resellendos præcipue sibi assumpsit in duabus prioribus suis epistolis. S. Irenæus ejusmodi heresin repetit a Simone mago. Cf. lib. I. Cont. her. c. XII. seq. ed. Mass. Cf. etiam I. V. c. XVIII.

(e) Sic dicti a *ex eo video speciem præfero*.

(f) Quod jam adnotaverat Tertullianus de Resurr. carn. c. II. « In ipsa pruis carne ejus (Christi) erraverat aut nullius veritatis contendentes eam, secundum

cetismus communis suis omnibus gnosticorum familiis, qui pariter errabant tum circa carnis Christi naturam aut qualitatem, tum circa ejus originem; nam Christi hi tribuerant carnem, seu corpus æthereum e sideribus et superioribus mundi substantiis desumptum quod transit per Mariam ut aqua per fistulam aut tubum. Itaque solam corporis aut carnis speciem Christo tribuerunt *phantasiadocetæ*, *phantasiastæ*, *manichæi*, *priscillianistæ*; corpus coeleste per Mariam editum commenti sunt *Bardesanes*, *Basilides*, *Apelles*, *Pauliciani* (a). Recentiori sætate anabaptistæ, quakeri, *Borignonia*, *Poitretus* aliquie fere cum gnosticis insanierunt nescio quid coeleste Christi corpori tribuentes (b).

Alli vero haereticci contrarium iter arripientes Christo vel solam carnem sine anima dederunt ut animalium plerique; alii animam sed ratione seu mente earentem Verbum assumpsisse autem rurunt ut Apollinaris ejusque assecæ, de quibus merito scribebat S. Augustinus: « Videat absurditatem et insaniam non ferendam. Animam irrationalē eum habere voluerunt, rationalē negaverunt; dederunt ei animam pecoris, subtraxerunt hominis (c). » Huic alios errores postea apollinaristaræ adtinxerunt (d).

Rursum circa humanam Christi naturam, seu portionis ejus originem a vero descivere haereticci illi qui Jesum ex Josepho prognatum fuisse contenderunt, adeoque ceterorum hominum more ex Maria progressum. Sic Cerinthus, Carpocrates, ebionitæ et ceterum surculi. Hoc commentum e suis cineribus exciserunt ac denuo instaurarunt rationalistæ, qui Christi nativitatem ex Virgine pro mytho sacro habent ex Judæorum opinionibus quibusdam et prophetarum oraculi aeo seignore demum composito, aut ex eventis quibusdam miraculorum speciem præse ferentibus exerto (e).

Cum vero permolestum sit singillatim recensitas

Marcionem et Basilidem; aut *propriae qualitatis*, secundum hereses Valentini, et Apellem.

(i) Cf. Petav. de Incarn. lib. I. c. IV, ubi omnium istorum hereses describit.

(b) De quibus Cotta ad Gerhardum Loc. theol. t. III p. 406. Diss. L. p. 43. seqq. IV. 17. seqq.

(c) Tract. XLVII. in Jo. n. 8. De apollinaristarum heresi agit s. Epiph. her. LXXVII. ed. Pet. ubi refert §. 25. ipsos dedisse quidem Christo ψυχήν, nempe animam, non autem *νέαντος*, id est mentem,

(d) Ex Epiphanius autem et ex Theodoreto aliisque veteribus Petavius I. I. c. VI. apollinaristarum errores prosequitur. Attamen Nat. Alex. II. Eccl. sec. IV. c. III. ar. 14. si demas precipuum errorem, quo Verbum in Christo vices anima supplevisse effutbat Apollinaris, reliquos errores non tam ipsius Apollinaris, quam ejus discipulorum fuisse contendit.

(e) Ita Wegsche. §. 123. Sic pariter De-Wette de Relig. et Theolog. p. 186. qui quod dicitur de Christo concepte de Spiritu S. et nato ex Virgine Maria exponit velut formulam symbolicam quæ significetur religio nem ex Deo esse, atque ut symbolum characteris divini Christi Jesu, cum ratio refutat ab admitendo omnium hominum perfectissimo, nempe Jesu, realiter producto ope supernaturalis conceptionis diverse a communione ceterorum hominum. Paulusius Comment. in IV. Evang. non aliud est, Christum ex Maria matre Virgine conceptum atque natum virtute Spiritus S.

hereses ac magna ex parte prorsus obsoletas refellere, duo nobis præstitutus generatim vindicanda. Alterum est integritas humanae nature in Christo, ex quo tanquam generali principio velut totidem corollaria deducemus veritates singulas adversus singulares errores illius integratatem quoquomodo labefactantes; alterum vero est supernaturalis Christi concepcionis, ex qua intemerata B. Marie Virginitas salva consistit. Sit igitur

PROPOSITIO I. — *Verbum Divinum naturam humanam nobis consubstantiale assumpsit integrum atque perfectam.*

De fide est, ut constat ex concilio chalcedon. definitio Christum « perfectum in humanitate, Deum verum et hominem verum eundem ex anima rationali et corpore, consubstantiale nobis eundem secundum humanitatem per omnia similem nobis absque peccato » (a); tum etiam ex symbolo Athanas. in quo Christus dicitur: « Perfectus Deus, perfectus homo ex anima rationali, et humana carne subsistens. » Quem quidem fidei articulum ita evincimus.

Divina littera non modo saepissime Christum *hominem et filium hominis* appellant, verum etiam ea perpetuo ac constantissime eidem tribuant, que veritatem humanae naturae procul dubio demonstrant. Etenim de illius conceptione loquuntur, nativitate, genealogia, deque ejus universa mortalis vita ratione, morte, sepultura atque resurrectione. Que omnia profecto veri hominis sunt. Neque alia est sanctorum Patrum sententia, qui non solum veritatem catholicam confirmant adversus quoslibet ejusdem impugnatores, sed præterea argumenta congerunt ad eam constabilendam, quam 1. quidem ex eo probant, quod si alterutra pars humanitatis in Christo decesset, non esset verus homo; 2. ex fine incarnationis Deique consilio, qui voluit ut homo per hominem redimeretur; 3. ex eo quod mediator esse Christus debuit, adeoque verus homo verusque Deus, et utrique consubstantialis; 4. denique ex eo quod totum et integrum hominem liberari oportuit, unde et assumi. Horum testimonia copiose profert et evolvit Petavius (b). Huc accedunt symbola, fidei professiones et conciliorum definitiones, quas vel exhibuius, vel commemorabimus cum adversus nestorianos atque eutychianos unam Christi personam in duplice natura ostendemus. In eo igitur sacra littera cum divina traditione consentiunt, quod Verbum Divinum humanam naturam assumperit nobis consubstantiale, integrum atque perfectam.

Ex his vero ita generatim constitutis sequitur

quam quod hec, nempe Maria, se ad notitiam præbuerit juveni, qui se mentitus sit esse Angelum, promissione accepta, futurum, ut pariat Messiam. Sic ceteri passim rationalistæ protestantes in Germania. Cf. Alber. op. cit. tom. I. prol. §. 14.

(a) Actione V. in collect. conc. Hard. t. II. coll. 455.

(b) De Incarn. I. V. c. XI. §. 7. seqq.

COROLLARIUM I. — *Christi caro est vera, solida et expressa, non autem ficta neque umbratilis neque apparet atque phantastica.*

Nisi enim ejusmodi carnem Verbum assumpsisset, Christus nullo modo vel esse vel dici posset consubstantialis nobis. Sane carnis sue veritatem luculentissima plane ratione comprobavit ipse Christus, cum Luc. XXIV. 39. discipulis suis dicebat: « Videate manus meas et pedes, quia ego ipse sum: palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet sicut me videtis habere; » jam vero ut recte argumentabatur s. Augustinus: « Si phantasma fuit corpus Christi, fefellerit Christus: et si fefellerit, veritas non est. Est autem veritas Christus. Non igitur phantasma fuit corpus ejus » (a). Eadem jam præverant in hoc argumento Irenæus lib. III. c. XVIII et XX., Tertullianus lib. De carne Christi c. V., Epiphanius Hæres. LXXXVII. n. 25. et alibi, aliquie Patres.

DIFFICULTATES.

Obj. Scripturæ excludunt veritatem carnis Christi, etenim 1. affirmant non habuisse Christum nisi hominem et carnis similitudinem, aente. Apostolo Philipp. II. 7. « Semetipsum exinanivit formam servi accipiens in similitudinem hominum factus, et habitus inventus ut homo », ac Rom. VIII. 3. « Misit Deus filium suum in similitudinem carnis peccati. » Quod 2. congruit cum iis, quæ idem Apostolus scribit I. Cor. XV. 50. « Caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt, » ideoque neque Christi caro: 3. quare sibi semper constans II. Cor. V. 16. scribit; « Itaque nos ex hoc neminem novimus secundum carnem. Et si cognovimus secundum carnem Christum, sed nunc jam non novimus; » res pascens scilicet ab absurdo illo errore in quem rudis adhuc in apostolatu inciderat veram credendo Christi carnem. 4. Sane Verbum licet in V. T. vere apparuerit carne indutum, veram tamen carnem minime præse ferebat, quod de Angelis potiori jure affirmandum est, et si omnia officia præstiterint hominis propria; 5. denum ratio ipsa clamat minime decere carnem immundam, corruptibilem, mortalem, plurimisque imperfectionibus scatentem divinæ naturæ consociari. Ergo.

R. N. A. Ad. 1. prob. D. Affirmant Christum non habuisse nisi hominis et carnis similitudinem *speciei*. C. *natura* N. Apostolus igitur in priori textu nil aliud significat, nisi Christum speciem præse tulisse ceterorum hominum, neque in aliqua re quoad naturam a ceteris differre, prout contextus postulat, alioquin nec Deus fuisset. In altero textu similitudo refertur ad *carnem peccati*, non autem ad carnem absolute, adeo ut iuxta Apostolum Christus habuerit quidem carnem corruptibilem et passibilem, enjusmodi nostra est, immaculatam tamen et a quavis peccati labe immunem.

A. 2. D. Prout caro et sanguis spiritui seu sancti-
(a) Lib. LXXXIII. QQ. Ques. XIV.

tati opponuntur, C. prout in se seu natura sua sunt N. Quod contextus pariter ostendit.

Ad 3. D. Id est affectu carnali ratione ejusdem communis originis ex Abraham, C. secus N. Alioquin non solum Christus sed omnes homines vera carne substituti essent (a).

Ad 4. D. Per apparitionem symbolicam, C. per apparitionem realem quoad externam speciem N. Nondum enim Verbum carnem nostram induerat. Atque hoc in hypothesi quod Verbum re ipsa semper apparuerit.

Eadem ratione intelligenda sunt quae de apparitionibus Angelorum sub humana specie in scripturis referuntur, quod scripture ipsae identidem monent ut Tob. XII. 18. De Christo vero non solum nullibi hoc declaratur, sed contrarium prorsus ubique scripture testantur.

Ad 5. N. Nihil enim Deo immundum est in creaturis suis, atque indecens pro effusa sua in homines charitate (b).

COROLLARIUM II. — *Christi corpus non e celo delapsum est, neque ex caelesti substantia consistens, sed est humanum atque ex Virgine matre suscepit.*

Etenim veteribus patriarchis promissus est Messias, nempe Jesus, nasciturus ex eorum semine, Abraham scilicet, Isaac et Jacob, postea vero David, ut suo loco ostendimus. Divinas porro has promissiones omnino fuisse completas evangelica testatur historia. Lucez siquidem I. 31. dixit Angelus Marie: « Ecce concipies in utero et paries filium. » Matthæus vero I. 4. seqq. cum texisset Christi genealogiam ab Abraham usque ad Joseph et Mariam addidit v. 25. « Peperit (Maria) Filium suum primogenitum. » Quare Apostolus Rom. I. 3. de Christo loquens ait: « Qui factus est ei ex semine David secundum carnem atque ad Gal. IV. 4. « Misit Deus Filium suum factum ex muliere. » Neque enim ex muliere factus dici potuisset, nisi corpus ex ea suscepisset, prent patres omnes adversus valentinianos disputabant (c).

Atque hinc refelluntur pariter anabaptistæ illi ceterique protestantes superius recensiti affirmantes vel Christi corpus coeleste quid præsetulisse, vel coeleste saltem quidpiam eidem adjectum. Certe neque divine litteræ, neque patres coeleste hujusmodi corpus commemorant, immo vero rejiciunt: neque ad incarnationis sive mysterium sive economiam coelesti eo corpore opus erat, ut liberiiores ejusmodi homines evulgarunt nova semper paradoxa ex secta principio sibi eudentes.

DIFICULTATES.

Obj. Quanam carne aut corpore Christus preditus esset ipsem non semel declarat; ac I. dum Jo. III. 6. affirmat: « Quod natum est ex carne caro est, quod natum est ex spiritu spiritus est: » repugnat porro dicere Christum carnem fuisse; 2. dum præterea clarius subdit ib. 13. « Nemo ascendit in celum, nisi qui descendit de celo, Filius hominis, qui

(a) Cf. Estium in h. I.

(b) Cf. Tertull. et s. Epiph. II. cito.

(c) Cf. apud Petav. de incarnatione lib. V. c. XI.

est in celo. » Jam vero ipse non descendit de celo in natura divina, que ubique est; ergo in natura assumpta, que pariter in celum concedit, de celo igitur ipsam detulit. Hinc Jo. loquens de corpore seu carne sua sub panis metaphora inquit, VI. 41: « Ego sum panis vivus, qui de celo descendit. »

5. Accurate præterea Angelus apud Matth. I. c. loquens de B. V. non dixit, V. 20: quod ex ea natum est, sed « quod in ea natum est, de Spiritu S. est, » quia Verbum non ex B. Virginis carne sibi carnem adscivit, sed secum e celo detulit. 4. Nusquam præterea Christus B. Virginem matrem compellat, sed mulierem constanter vocat: 5. ino prorsus nullam terrenam matrem agnoscere velle professus est Matth. XII. 47. ubi cum quidam ei dixisset: « Ecce mater tua, et fratres tui » respondit illico Christus, V. 48: « Quae est mater mea, et qui sunt fratres mei? » 6. Ex his mutuatus est Apostolus doctrinam suam dum I. Cor. XV. 47. diserte scribit de Christo quem cum Adam confert: « Primus homo de terra terrenus: secundus homo de celo coelestis. » Ergo.

R. ad 1. D. Id est generatione carnali per oppositionem ad regenerationem spiritualem, quae conferunt per baptismum, de quo hic loquitur Christus, C. de carne per oppositionem ad spiritum seu substantiam spiritualem N. (a).

Ad 2. D. Ratione personæ divinæ et quidem effectu, C. ratione naturæ assumptæ ac motu locali N. Eodem sensu accipienda sunt quæ sub panis metaphora de se protulit Christus (b).

Ad 3. D. In ea et ex ea ut aperte dicitur Luc. I. 35. « Quod nascetur ex te Sanctum » et Galat. IV. 4. « factum ex muliere » C. in ea in sensu adversiorum N.

Ad 4. D. Prudenti œconomia cui supplerent evangeliste sexcentis in locis matrem Jesu B. Virginem appellantes, C. ad insinuandum vere matrem suam non esse N. Sic: vocat mulierem in sensu exclusivo matris, N. in sensu inclusivo C. Sane, ceteris omissis Jo. XIX. 29., legitur: « cum vidisset Jesus matrem... dicit matri sue: mulier ecce filius tuus. »

Ad 5. D. Praferendo spiritualem cognitionem cognitioni carnali, C. excludendo N. Patet ex contextu.

Ad 6. D. Coelestis ratione personæ divinæ, vel admirabilis ipsius conceptionis, vel coelestis planæ vite quam Christus duxit, C. ratione materiae seu substantiae qua coagmentatum fuit ipsius corpus N. Apostolus porro ibid. opponit hominem coelestem terreno seu terrena cupienti atque sapienti; fideles prætereahortatur, ut quoniam portaverunt imaginem terreni, coelestis jam exinde imaginem portare studeant, spirituelia nempe et coelestia cogitantes et consecrantes (c).

(a) Cf. Maldonat. h. c.

(b) Ibid.

(c) Cf. Bernard a Picomio in h. I.

COROLLARIUM III. — *Animam eaque rationis participem Verbum divinum assumpsit.*

Profecto, si anima ad humanæ naturæ essentialiam spectat, eam Verbum divinum assumpsisse necesse est. Etenim « Non est homo perfectus, ut arguebat s. Augustinus, si vel anima carni, vel anima ipsi mens humana desuerit. » (a) Præterea juxta veteres Patres I. Verbum corpus mediante anima assumpsit: 2. id omne assumpsit quod reparavit ac sanavit, sanavit autem animam præcipue. Accedit, certissimum in sacris litteris, Patribus ac fidei symbolis catholicum dogma esse, Christum post mortem ad inferos descendere; jam vero nec corpore descendit quod in sepulchro depositum est, neque divinitate quæ ut pote immensa ubique est; neque figurate de Christo id dictum esse admitti potest, cum ex communi Patrum et Ecclesiæ sententiâ de vero et proprio dicto descensu ad inferos symbolum apostolicum loquatur: restat igitur ut anima Christum ad inferos descendisse credamus post mortem suam, quæ quidem mors sine anima nec est, nec intelligi potest (b).

Verum non minus evidens argumentum sacra litteræ suppeditant ad animam et quidem rationalem in Christo adstruendam in attributis seu proprietatis et affectionibus quas eidem adscribunt. Etenim Christi humanam voluntatem et operationem commemorant, ut inferius ostendemus, animæ tristitiam, pavorem, motum atque doloris sensum, quæ sane omnia evidenter ostendunt Dei verbum præter humanum corpus humanam sibi animam eaque rationis participem copulasse.

DIFICULTATES.

Obj. Tum Scriptura tum recta ratio animam, eaque rationis participem Christum minime habuisse suadent. 1. Aperte enim Jo. I. 14. dicitur: « Et Verbum caro factum est. » Solam igitur carnem Verbum assumpsit: 2. idque merito: divinitas enim tum anima tum mentis vires gerere poterat; 3. eo vel maxime quod « duo perfecta, ut aiebat Apollinaris, non capiebat Christus, » id est duas naturas perfectas in una persona, 4. alioquin quaternitas in Deo pro Trinitate constitueretur. His accedit necessario in mente humana carnales esse cogitationes, carnisque prudentiam quam reprobat Apostolus Rom. VIII. 6. Ergo.

R. N. A. Ad 1. prob. D. Id est homo, C. caro sine animum, N. Sic enim Patres unanimiter juxta perpetuum Ecclesiæ sensum citata verba expulerunt, qui plures præterea ejusmodi locutionis rationes afferunt (c). Sane voces carnis et animæ passim in Scripturis occurserunt ad totum hominem

(a) Ep. CLXXXVII. ad Dard. n. 4. ed. mag.

(b) Protestantes passim, quos secuti sunt janseniste, articulum de Christi descensu ad inferos, quod animam scilicet, expungunt, et contra sensum totius antiquitatis et Ecclesiæ universæ de corporis Christi sepultura articulum illam intelligunt, etsi huic violenti expositioni obstat quod legitur I. Petr. III. 19. 20. Cf. Petav. lib. XIII. cap. XVI. seqq.

(c) Cf. Petav. I. IV. c. II.

significandum. c. g. Gen. VI. 12: « Omnis caro coruperat viam suam. »

Ad 2. D. Ad vivendum et intelligendum, Tr. ad perfectum sed verum hominem constituendum, N.

Ad 3. D. Perfecta sub ratione personæ, C. naturaliter, N. ut inferius ostendemus.

Ad 4. N. Neque enim humana natura peculiarem quædam constituit personam sed eam Verbum adscivit in unitate personæ divinae, ut idoneo loco exponemus et vindicabimus. Sic negamus necessario inesse in humana mente carnales cogitationes, ut patet ex statu Adæ innocentis, in Christo vero mens regebatur a Verbi persona (a); id ipsum dicatur de prudenter carnali, ne diutius in ejusmodi nugis refellendis immoremur.

COROLLARIUM IV. — *Christus humanis affectibus, doloribus et corruptioni obnoxius fuit ex naturæ sue conditione.*

Prior pars ad fidem spectat; altera vero, quæ nemppe dicitur ex naturæ sue conditione est tantum fidei proxima ut ex dicendis patet. Ad priorem itaque partem quod attinet, de ejus veritate omnia fidei nostra symbola nos dubitare non sinunt, quæ nobis exhibent Christum passum ac mortuum, ideoque ante suam resurrectionem passibilem ac corruptibilem. Sane hujus rei non obscura argumenta sacra litteræ suppeditant, quæ Christum testantur identidem esurientes, sitiens, flentem, ex itinere fatigatum, et præ doloris acerbitate clamantem. Quare Is. LIII. idem Christus appellatur vir dolorum et sciens infirmitatem, vulneratus, atritus, atque hæc quoad corpus. Quod animam vero id ipsum Christus expressit, cum Luc. XXII. 42. ait: « Pater, si vis, transfer a me calicem istum, » ubi, V. 43, idem Evangelista subdit: « Apparuit illi Angelus de celo confortans eum, et factus in agonia prolixius orabat, » quæ locum non haberent, nisi doloris magnitudinem atque acerbitatem persensisset; quod etiam ostendit ex Matth. XXVI. 38. cum Christus discipulos suos alloquens dixit: « Tristis est anima mea usque ad mortem; » hinc re ipsa « cœpit pavere et tædere, » ut legitur Marc. XIV. 33.

De hoc fidei articulo nemo unquam catholicorum dubitavit; ast vero num ejusmodi affectiones Christus ex naturæ conditione seu insita naturæ humanae infirmitate passus fuerit, num vero non naturaliter sed extraordinaria quadam lege, ac velut per miraculum eas sit expertus magna olin existit contentio inter Philippum abbatem Bone Spei et Joannem quendam monachum ac prepositum ætate S. Bernardi. Partem negantem suscepit Philippus, qui acerius contendit Christi carnem, quia sine peccato accepta fuerat, nullis penitentiam et obligatam fuisse, adeoque nihil naturaliter pati posuisse. Contra vero Joannem prepositum et Christum assertat necessitate naturali, sed sponte tamen adscita et voluntaria omnia pertulisse. Hæc posterior sententia

(a) Vid. Pet. I. V. c. XIII. § 6.

communis evasit, cui adstipulantur satis aperte Scripturæ atque Ecclesiae Patres. Apostolus enim Hebr. II. 17. affirmat Christum debuisse « per omnia fratribus similari, ut misericors fieret, et fidelis pontifex ad Deum, ut repropriaret delicta populi. In eo enim in quo passus est ipse et tentatus, potens est et eis, qui tentantur, auxiliari; » tum c. IV. 15: « Non enim, inquit, habemus pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris: tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato. » Quæ inepit ad solatium nostrum dicta viderentur, si quæ Christus passus est, non humano more modoque suscepisset, quod magis confirmatur ex argumento quod idem Apostolus instituit ib. V. 2. seqq. Patres vero in eo pariter omnes consequuntur (a), etsi fateantur, quod et a nobis constitutum est, hæc omnia in Christi humanitate ad nutum divinitatis tanquam moderatricis administrata esse, ac propterea non invite sed libere nostri causa Christum passiones pertulisse (b).

(a) Cf. apud Petav. I. X. c. IV. §. 5. seqq.

(b) Coronidis gratia hic juvat accuratam animadversionem afferre quam Boetius circa finem libri *De duabus naturis et una persona Christi* instituit, quæque non modice confert tum ab eutychianorum commenta diluenda, tum ad hanc questionem quam excutimus explanandam. Etenim si dicatur Christus carnem habuisse qualiter Adam habuit post peccatum, inferbant eutychiani peccato eam obnoxiam fuisse; sin autem ejusmodi carnem suscepit qualis ante lapsum illius extitit, concludebant neque pati neque mori posse.

Boetius igitur tres status distinguit in Adam, duos extremos et alterum inter illos medium. Primus status est « ante delictum, in quo tametsi ab eo mors aberat, nec adhuc ullo se delicto polluerat, poterat tamen in eo voluntas esse peccandi. » Secundus status est « in quem mutari potuisset, si si miter in Dei præceptis manere voluisset. » Tuncenam id addendum foret, ut non modo non peccaret, aut peccare vellet, sed ne posset quidem aut peccare aut velle delinquere. Tertius status est post delictum, « in quo mors illum necessario subsecuta est, et peccatum ipsum, voluntasque peccandi. » Horum statuum extremiti duo sunt secundus et tertius; etenim in secundo, qui tantum fuit possibilis, adfuisse *impeccantum*; in tertio peccatum, et peccandi voluntas. Primus autem est medius inter hos extremos, in quo adfuit possibilitas peccandi et moriendo. Ex his igitur statibus singulis proprium quiddam Christum assumpsisse Boetius observat. « Nam quod mortale corpus assumpsit, ut mortem a genere humano fugaret, in eo statu ponendum est, qui post Adæ prævaricationem penitenter inflitus est (ac tertius est ex recensit). Quod vero non fuit in eo voluntas ulla peccati, ex eo sumptum est statu, qui esse potuisset, nisi voluntatem insidiatis fraudibus applicasset (qui secundus est status). » Restat igitur medius status, qui primus est positus, « ille scilicet, qui eo tempore fuit, cum nec mors adferat, et adesse poterat deflendendi voluntas. » In hoc igitur Adam talis fuit, ut manducaret ac biberet, ut accepta digereret, ut laberetur in somnum, et alia, quæ ei non defecerunt (al. defuerunt). Humana quidem, sed concessa, et quæ nullam pœnam mortis inferrent; quæ omnia habuisse Christum, dum non est. Nam et manducavit, et bibit, et humani corporis officio funetus est. Neque enim tanto indigentia in Adam fuisse credenda est, ut nisi manducasset, vivere non potuisset. Sed si ex omni quidem ligno escam sumere, semper vivere non potuisset, hisque forte sic-

DIFFICULTATES.

1. Obj. Patres passim docent Christum nullo unquam dolore atque tristitia affectum fuisse; 4. tum quia passiones affectionesque ejusmodi Deo indignas censebant, tum quia imperfectionem redolere atque arguere arbitrabantur. 2. Insignis inter cetera est locus Hilarii Pictaviensis l. X. de Trinit. n. 23. ubi aperte negat quidpiam pœnam aut doloris Christi corpus pertulisse seribens: « In quo (Christo) quamvis aut ictus incidet, aut vulnus descendet, aut nodi concurrerent, aut suspensiō elevaret, afferrent quidem haec impetum passionis, non tamen dolorem passionis inferrent; ut telum aliquod aut aquam perforans, aut ignem compungens, aut aera vulnerans . . . passus quidem est. Dominus Jesus Christus, dum ceditur, dum suspenditur, dum crucifigitur, dum moritur, sed in corpus Domini irruens passio, nec non fuit passio, nec tamen naturam passionis exeruit: dum et pœnali ministerio illa deservit, et virtus corporis sine sensu pœna vim pœnae in se deservientis exceptit. » Qui præterea addit nullum metum aut mortis dolorem sensisse; in quo convenienter etiam aliqui Patres, qui negant Christum de imminente morte contristatum fuisse, aut perturbatum. Ergo.

R. Ad 1. D. In natura divina, C. in humana, subd. passiones quæ ex humana natura vitio, vel ex prava voluntate procedunt, C. quæ sunt innoxie cogenitaeque ipsi naturæ. N. illas porro a Christo Patres excludunt, non istas, quæ Deo indignæ censi amplius non debent ex quo humanam naturam induere Deus dignatus est, nullamque arguant imperfectionem (a).

Ad 2. D. Et s. Hilarius, prout patet ex ipsius scopo, loquitur de divina Christi natura, C. de humana, subd. quasi vere ab ea omnem dolorem et infirmitatem abigit, N. ut ostendat Christi passiones et infirmitates voluntariae esse ejusque imperio dominioque subjectas ac temperatas, C. Etenim ipse lib. I. de Trin. n. 52. declarat se librum decimum instituisse adversus hereticos, « qui divinæ professionis naturæque immemores, ad impietatis suæ argumentum dispensationis gesta dictaque tenuerunt, » seu, ut planius loquitur lib. IX. n. 5. qui « quæ ab eo (Christo) secundum hominem dicta sunt, dicta esse secundum naturæ divinæ infirmitatem mentiuntur. » Illos igitur resellit ostendens passiones non ad divinam sed ad humanam Christi naturam esse referendas. Ostendit præterea S. Hilarius, Christi infirmitates a nostris quadruplici ratione differre. Nostra enim sunt actæ,

quæ non mori. Idecero paradisi fructibus indigentiam explebat. Quam indigentiam fuisse in Christo, nullus ignorat; sed potestate, non necessitate.

(a) Humanarum enim passionum duas sunt species: quædam naturales sunt, et virtù expertes; ut sunt famæ, sitis, lassitudine, ac exercere ejusmodi. Aliæ maculae quædam turpitudinis infecta, ut est concupiscentiæ moribus, et quæ proprie passionum vocabulo censentur. His caruit Christus, ast priores, quamdua vixit, habuit, ut Patres omnes græci atque latini unanimiter tradunt. Cf. Petav. lib. VII. et IX.

promeritæ, in nos dominantur, nec quidquam in nobis est quod non eis subjaceat; contra vero ex s. Hilario infirmitates in Christo fuerunt voluntarie, propter nos susceptæ, ad nutum voluntatis illius temperatae, nec naturam divinam, sed solum humanam attingentes (a).

Eodem sensu tum ipse tum reliqui patres negant aut ullum metum aut mortis dolorem Christum sensisse aut de morte contristatum; de metu enim, dolore aut perturbatione loquuntur, quæ in Christum dominarentur, aut invitum nolentemque possent comovere (b).

H. Obj. Saltem intelligi nequit quomodo ejusmodi affectiones tristitiae et tædii quoad animam, doloris quoad corpus naturales potuerint in Christo esse, cujus anima visione beatifica ob unionem hypostaticam fruebatur ex qua profluerat gaudium quo vel ipsius corpus perfundebatur. Tristitia enim aut dolor cum gudio beatifico simul naturali ratione componi nequeunt, ut ex comprehensoribus patet, qui miseri esse non possunt. Si igitur Christus tum in anima, tum in corpore passus est, non conditione naturæ sed præter naturam seu per miraculum talia ipsum fuisse perppersum dicendum est. Ergo.

R. Cum Verbum humanam naturam una cum insita naturali infirmitate in eum finem assumperit ut patetur ac moreretur, ita attemporavit gaudium quod ex visione beatifica profluerat ut non impedierit affectiones proprias humanæ naturæ. Utrumque enim certum est tum Christi animam visione beatifica ab ejus creatione donatam esse, tum humanis affectionibus metus, tristitia et tædii obnoxiam fuisse, ut et Christi corpus doloribus affectum ex naturali infirmitate et conditione: reliquum proinde est ut hæc componantur per divinam dispensationem juxta expressa (c). Nec omnitem gaudium et tristitiam cum ex diverso objecto et motivo oriuntur, prout in Christo oriebantur, optimè inter se consistere posse in uno eodemque individuo (d). Neque præterea obstat exemplum comprehensorum; etenim ipsi in termino constitutis nulla subesse potest tristitia aut doloris affectio, Christus autem simul fuit viator. Sed de his consulantur scholastici (e).

(a) Cf. P. Constant in præf. ad novam a se curatam ejusdem s. P. editionem a n. 98. ad n. 460. seu tota §. III. ubi nihil desiderandum reliquit circa germanam S. Hilarii mentem.

(b) Cf. Petav. I. X. c. V. §. 9. seqq.

(c) Cf. Estium in III. Sent. Dist. XV. §. 4. S. Augustinus I. II. de Peccat. merit. C. XXIV. n. 48. « Quia in eo (Christo), inquit, erat similitudo carnis peccati, mutationes atque perpetui voluit ab ipsa exorsus infancia, ut ad mortem videatur etiam senescendo illa caro pervenire potuisse, nisi juvenis fuisse occisus. Quæ tamen mors in carne peccati inobedientie debita redditur, in similitudine autem carnis peccati obedientie voluntate suscepta est. » Cf. etiam Catæch. rom. p. I. art. IV. n. 2.

(d) Cf. Suarez in III. P. s. Th. disp. XXXVIII. sect. 2.

(e) Cf. Platelium S. J. Synopsis totius cursus theolog. P. IV. n. 288. seqq.

PERRONE. I.

PROPOSITIO II. — *Christus Dominus de Spiritu Sancto conceptus est atque ex Maria Virgine salva ipsius integrata natus.*

Propositio hæc est de fide, ut omnia fidei nostræ symbola expresse tradunt; sic in symbolo apostolico de Christo dicitur « qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine ». Eadem habent symbola nicenum et constantinopolitanum.

Cum vero admirabilem ac supernaturalem hanc Christi Jesu conceptionem ac nativitatem due hostium classes adorantur, Judei scilicet et haeretici, et ex recentioribus rationalistæ nonnullique biblii protestantes ut præmisimus, ad eos præterea refellendos ejus generis argumentis uti debemus quibus omnes æque perstringamus. Ex utroque præterea Fœdere atque ex constanti antiquorum Judeorum et Christianorum traditione, tum ex critica et exegesi argumenta promovere cogimur ad rem nostram confiendam.

Celebre est vaticinium quod Isaías VII. 14. edidit cum Achaz rex Juda propositum sibi a propheta signum rejecit de imminentे liberatione Jerusalem a Rasin rege Syria et Phacee rege Israel eam obsidentibus dicens: « Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum: Ecce Virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel ». Ejusmodi autem oraculum de Virgine concipiente et pariente Spiritus Sancti operante virtute interpretatus est s. Mathæus I. 22. seqq. ubi cum retulisset supernaturalem B. Virginis conceptionem addidit: Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est a Domino per prophetam dicentem: Ecce Virgo in utero habebit, et pariet filium: et vocabunt nomen ejus Emmanuel: quod est interpretatum Nobiscum Deus ». Ad hoc ipsum oraculum manifeste alludit Angelus B. Virginem alloquens Luc. I. 31. iisdem enim pene verbis utitur quibus Isaías. Exploratum igitur est apud christianos tum vaticinium Isaías ad Christi conceptionem ac nativitatem pertinere, tum de virgine matre esse intelligendum.

Sed præterea aduersus Judæos et rationalistas, patet Matthæum ac Lucam secutos esse verum Isaías sensum ac receptam veteris synagogæ interpretationem 1. ex eo quod messiana explicatio jam coevis prophetae ipsius fuerit communis: etenim Michæe V. 2. 3. tum illud « Parturiens pariet, tum « Egressus ejus ab initio, a diebus æternitatis, supponunt jam Messiae nativitatem absque viri opera, Michæas cum ostendit divinam Messiae originem; Isaías vero mirum ejus nativitatis modum. 2. Ex ipso Isaiae proposito, vocibus et contextu; propositum enim Isaiae erat dare, seu exhibere signum certum et extraordinarium promissæ liberationis, exhibet autem ejusmodi signum in extraordinaria Messiae nativitate ex virginе, quæ hoc ipso quod futura esset ex progenie David, ostendebat eam non fore per illam obsidionem extirpandam: utitur autem voce נָתַתְנָה cum articulo indicans se loqui de re jam cognita dicens: « Ecce virgo illa concipiet et pariet »; pronuntiat vo-

(Trente-trois.)

canduci hujus virginis filium nomine symbolico *nobiscum Deus*; capite vero seq. nempe VIII. 8. exhibet propheta hunc *Emmanualem Dominum totius Judæe*; nam loquens de assyriorum rege inquit: « Et erit extensio alarum ejus implens latitudinem terre tuæ, o *Emmanuel* ». Demum c. IX. 6. seqq. de hoc ipso virginis parvulo agens, Deum simul et hominem eum exhibet, ejus regni naturam ac perpetuitatem magnifice describit, prout rursum id ipsum praestat c. XI. 4. seqq. 5. patet ex consensu veteris synagogæ et antiquiorum Rabbinorum penes quos viginti antiqua traditio de supernaturali Messiae conceptione ac nativitate ex virgine (a), cuius vestigium occurrit Jo. VII. 27.; et sane nulla erat ratio Evangelistis referendi Jesu Christi nativitatem ex virgine nisi receperit apud omnes tunc temporis suis etiam fore ortum promissi Messiae. 4. Demum constat ex hujus traditionis propagatione apud omnes gentes penes quas per vulgatum erat præter naturæ legem ex virgine matre nasciturum qui salutem, justitiam, sapientiam latus esset in terras, hanc opinionem accommodantes suis heroibus ac magistris; ut apud Græcos qui Minervam de capite Jovis, Platonein et phantasmate Apollinis oppressa matre fixerunt atque ex parte virginis editum, apud Romanos, qui auctores urbis et genti sua Ilia virgine et Marte genitos arbitrati sunt (b); apud Indos, qui Buddham principem dogmatis eorum ex latere suo virginem procreasse censuerunt (c), quæ opinio adhuc apud ipsos perseverat (d): apud Sincenses, qui id ipsum

(a) Cf. De Voisin Obss. in procœm. Pugion. fid. p. 154. ed. Carpz. item Raym. Martini III. P. dist. III. cap. VII. Cl. Drach Troisième lettre. Première partie. Prophétie d'Is. VII. 14. Rome 1853. ch. I. et 2.

(b) Apud S. Hieronym. adv. Jovinian. I. I. n. 42. ed. Vallars. opp. t. II.

(c) Ibid.

(d) Quæ S. Hier. de Indorum Budha scribit confirmantur a recentioribus qui regiones illas perlustrando nuper inviserunt. Ita Paulinus a s. Bartholom. Malabaricus missionarius in *Systemate brahmanico liturgico, mythologico, civili etc.* Roma 1791. Brahmanorum doctrinam de Budha ponens p. 158. haec habet: « Natus est ex *Maya*, quæ imaginationis dea est, ex mente, ex voluntate Virgine, et sine complexu carnali, quemadmodum filii Pandavarum apud Brahmanes per auriculam ex sole, ope orationis magice, et sine complexu virili nati fuisse scribuntur in libro Sambhavam et yndhishtria ». Cf. etiam Klaproth. Asiat. *Magaz.* seu Repertorium Asiaticum Veimar 1802. p. III. « Von der Incarnation des Vischnou », nempe de incarnatione Vischnou; de Zoroastre refert Tavernier *Voyage en Perse* tom. I. p. 480. « Que sa mère eut une vision par un ange, et que s'étant éveillée, elle connut qu'elle était grosse. » De Simone Mago in hist. apostolica lib. I. de Petro c. IX. apud Fabric. cod. apocryph. N. T. tom. II. p. 416. legitur eum dixisse: « Ego (Simon) sum prima virtus, qui semper et sine initio sum. Ingressus autem sum in uterum Rachel (matris meæ), natus sum ex ea, ut homo, ut ab hominibus videri possim ». Huc spectant quæ de *viro* Θεῷ, de *filiis deorum* παρθενεῖαι seu Virginē procreatis referuntur apud gracos antiquiores de quibus Weinstein N. T. t. I. p. 256. et Paulus Commentarij ub. d. N. T. seu Commentarius in N. T. T. I. p. 136. egerunt. Quæ de *Ægyptis* referuntur qui, testis Pomponio Mela De situ Orbis I. I.

tradunt de Fochi seu Xaca (a). Verum hoc proprius attingunt quæ poetæ de virgine Justitia, seu Astræa cecinerunt (b), quo spectant quæ de reversura aurea aetate Virgilii ecloga IV. v. 4. seqq. scribit ubi plura cum Isaiae vaticinio, quæ de nascituro pætro in suo carmine exornat, plane congruunt (c).

Cum igitur vaticinii Isaiae natura et adjuncta omnia pestulent ibi de Messia e virgine matre nasciture predictionem contineri; cum huic congruant prophetæ ceteri qui id tanquam notum assumunt, sensus ac traditio veteris synagoge, traditio penes omnes fere populos vulgata ac indidem orta; cum Evangeliste juxta receptum hunc sensum oraculum explicant et adimplerunt in Christo Jesu ejusque Virgine matre perhibeant; cum denique universa christiana Ecclesia id constanter tenerit ac professa sit, sequitur tum argumenta interna, tum argumenta exteriora adversus Judæos ac rationalistas evincere quod proposuimus, nempe Christum Dominum de Spiritu Sancto fuisse conceptum, atque ex Maria Virgine salva ipsius integritate natum esse.

c. IX. §. 7. autumarent Apim divinitus et cœlesti igne conceptum, cf. Tschucke comment. exegel. vol. III. p. I. p. 500. qui ex Herodoto III. 28. et Älian. Hist. anim. I. XI. 10. affert: Πίναται ἐξ βόσ., εἰς τὴν ἀπάνω ἄλιον ἐμπαύεται σπορᾶς αὐτὸν ἡτοι. « Nascitur autem (Apis) ex vacca, in quam incidunt cœlestis fulgor conceptionis causa fit (Apidis). Addantur Ovid. Met. I. XV. v. 760. seqq. Varro ap. Augustinum de civ. Dei I. III. 4. dicens: « Utile est civitibus, ut viri fortes se ex diis genitos esse credant, ut animus humanus divina stirpis fiduciam gerens res magnas adgrediendas præsumat audacius ». *Ægypti* statuebant, ut refert Plutarchus in Numa c. IV: « Nihil prohibere, quin halitus, (seu spiritus) Dei appulus mulieri principia infundat generationis ».

Hac quidem aliaque ejusmodi ostendunt per vulgatum ex primigenia traditione persuasionem de supernaturali quadam ex Virgine conceptione et nativitate apud ipsos ethnicos, qui tamen ea abusi sunt, dum eam transtulerunt ad deos atque heros suos, ut in plerisque aliis. Hoc interim luci habemus 1. has easdem mythologicas ethniconarrationes testes esse antiquioris veritatis originariae: 2. neque incredibilem, neque absurdum ejusmodi conceptum paganos ipsos existimasse, ut aduersus eos arguantur jam antiquissimi patres, cf. Origen. adv. Celsum I. I. n. 57. Clem. Alex. I. I. Strom. p. 321. 24. ed. Sylburgii et Justin. in Dial. cum Tryph. n. 67. etc. Colligitur 3. Perperam rationalistas, ut Wegscheider, Baver, præsertim vero Ammon in *Comment. de primordiis* J. C. fontibus, incrementis et nexu cum religione christiana in opp. noviss. Gotting. 1803. undique corradore ex profana antiquitate ejusmodi dicta aut facta, ut inferant conceptionem ex Virgine referendam esse ad mythos paganorum. Neque omitendum non pauca ex ejusmodi quæ circumferuntur factis, si ad amissum revocarentur longe diversum sensum præferre ab eo, quem eisdem rationalistæ affingunt.

(a) Cf. Langlet not. ad version gallicam Thunbergiani itinerarii t. II. p. 162.

(b) Vid. Arati Phænom. vs. 96. seqq. Manilius Astronomic. v. 545. seqq.

(c) Analogiam inter Isaiae vaticinium et Virgilianum carmen ostendit Rosenmüller in h. I. ad finem tamen suum, de quo postea.

DIFFICULTATES.

1. Obj. 4. Etymologia ipsa voce hebraicæ *almah*, quæ est a *alam*, *latitavit*, *absconditum aut occultum fuit*, ostendit ejusdem conceptum neque fixum esse pro virginitate, neque pro matrimonio inito vel non inito, sed conditionem indicare etatis. 2. Quare Judæi virginem illibatam indicant per *bethulah*, inverosimile porro est duo omnino synonyma illos habuisse. Imo *bethulah* Joel I. 8. significat virginem juvenem. 3. Præterea usus loquendi excludit sensum virginis illibatae a voce *תִּבְרָא* *almah*. Nam etsi necessario hic sensus non excludatur Ps. LXVII. 26. et Cant. VI. 7. excluditur tamen Prov. XXX. 19. 4. Hinc etiam veteres interpretes vocem *תִּבְרָא* pro juveneri seu puella verterunt ut Aquila, Theodotion, Symmachus qui habent *τένητις*, *juvenis*. Ergo.

R. ad 1. Estò etymologiam per se non postulare conceptum *virginis* cum non denotet nisi *puellam nubilem*, attamen ut usovenit conceptus τοῦ *virgo illibata* et τοῦ *puella nondum nupta* apud Hebreos confundebantur et promiscue usurpabantur; hinc optimus Hieronymus adnotat cohærenter ad usum simul et etymologiam, *almah* non *virginem* generatim significare, sed *virginem in primis juvenitis annis* (a).

Ad 2. D. Virginem illibatam tum juvenem tum projectam, G. juvenem tantum seu *non nuptam* N. Hinc negamus voces istas synonymas esse. Incertum porro est utrum Joel I. c. loquatur de juvene nupta, quæ mortem mariti, num vero de virgine sponsa, quæ amissum sponsum deploret (b); quod verisimilius ex contextu videtur.

Ad 3. N. Etenim in universa sacra scriptura *almah* non occurrit nisi sexies Gen. XXIV. 43. Exod. II. 3. Ps. LXVII. 26. Cant. I. 5. VI. 8. Prov. XXX. 19. et numquam de nupta, sed ubique de innupta foemina sumitur. In quinque autem primis locis cit. certissime sumi de *virgine* tori nescia illa insipienti patebit. Quod vero attinet ad illum Prov. XXX. 19. si quis eum attente perpendat, deprehendet projecto ibi vocem illam usurpari ad denotandam virginem, quæ talis saltem est ex communi fama, iudicio, et opinione aliorum (c); quod satis est ad concludendum usum loquendi apud Judæos receptum invicte ostendere *almah* de *puella innupta* seu *virgo*.

(a) Cf. loc. cit.
(b) Hic autem approbare nequeo quod Rosenmüller autumat, Isaia censuisse hunc partum imminere; nam nihil est, quod talen mentem prophetæ fuisse innuat, neque id supponi posse evidens est. Fatente enim Rosenmüller hoc vaticinum ad Messiam referunt; jam vero non poterat Isaiam latere vaticinum Jacobi, quo Messiae adventus futurus prædictetur, cum Iudaorum res publica jamjam ad interitum vergeret; ut omittam cum divina inspiratione prophetæ hanc hypotesim componi non posse.

(c) Cf. Hengstenberg Christologia V. T. p. I. sect. II. de vaticinis messianis Isaia p. 70 seqq.

(d) Locus agit, scribit Rosenmüller, de fortibus et clandestinis amoribus, et congressu, quem vir cum *puella innupta* exercet, nemine præter amantes conciso, dum interea illa pro virgine habetur, et quid vitii sibi haret, ita dissimilat, ut ab aliis id frustra pervestigetur. Hinc patet hanc adolescentem ab auctore Pro. distinguere a *femina adultera*, de qua vs. proximo loquitur, secus ac contendunt Hebrei.

gine nubili usurpari. Hinc in arabico et syriaco numquam citata loca de nupta accipiuntur. Denique advertit s. Hieronym. Lingua quoque punica propria virgo *almah* appellatur (a).

Ad 4. D. Judaizantes et ad eripendum christianis hoc vaticinum, G. veteriores N. Etenim LXX. interpres veterunt παρθενος, virgo.

II. Obj. Natura et adjuncta Isaiae vaticinii excludunt messianam interpretationem. 1. Scopus enim erat præbere incredulo Achaz signum aliquod, quod cito adimpleretur, et quasi ob oculos ponetur. Ast promissio mirabilis Messiae nativitatis multa post secula subsecutæ talis esse non poterat. Nam quomodo potuisse Achaz promissionem multo serius adimplendam pro vadimonio aut pignor antecedentis eventus accipere? Nec refert Messiae promissionem consolatoriam esse potuisse universo populo, seu saltem hominibus piis, qui certi sic reddebant nec domum Achaz, nec rempublicam destructum iri; 2. etenim in oratione prophetæ agitur de signo dando non autem de promissione in memoriam revocanda; 3. hinc si de Messia ibisero esset, domui David nihil novi dictum fuisset, adeoque neque prophetia neque signum haberetur, sed merum motivum oratorium; 4. præterea motivum ejusmodi consolatorium in omnes æque circumstantias quadrat et nimis generale est. Messias nasci poterat ex familia Achaz quin res publica in suo praesenti statu conservaretur et Achaz in throno permaneret. Sane babylonicum exilium contigit, attamen Messias natus est. Isaia igitur in tali hypothesi falsa ac sophistica argumentatione ratione usus esset. Ergo.

R. N. A. Ad. 1. prob. D. Confirmando majoris et illustrioris beneficij promissione levioris beneficij promissum, G. exhibendo novum signum quod precedat promissi beneficij adimplementum N. Conjuratis enim Syria atque Israëlis regibus, genti Davidicæ regie totique regno judaico interitus tum imminere videbatur, hinc anxios demissosque animos vates erigit spe nascituri divini illius magnoque desiderio expectati Principis, quem virgo modo prodigioso esset paritura (b). Ejusmodi porro nativitatem om-

(a) Loc. cit.
(b) Hic autem approbare nequeo quod Rosenmüller autumat, Isaia censuisse hunc partum imminere; nam nihil est, quod talen mentem prophetæ fuisse innuat, neque id supponi posse evidens est. Fatente enim Rosenmüller hoc vaticinum ad Messiam referunt; jam vero non poterat Isaiam latere vaticinum Jacobi, quo Messiae adventus futurus prædictetur, cum Iudaorum res publica jamjam ad interitum vergeret; ut omittam cum divina inspiratione prophetæ hanc hypotesim componi non posse.

(c) Porro animadvertisendum est, hunc Auctorem ubique se rationalistam imo et judaizantem exhibere, etiam in iis in quibus videtur veram sententiam tueri. prout accidit in argumento quod versamus. Etenim non solum detrahit prophetæ inspirationi, ut diximus, sed præterea sue insistens præconceptæ sententiae de Messia Rege potentissimo, Iudeorum more pro Messiae adventu nihil aliud intelligit, quam regnum florentissimum ætatem auream preseferens a poëtis græcis et latinis passim celebratam.